

F

Auf

SS

30.

DISPUTATIO PHYSICA
DE
TEMPERAMENTO

Q V A M

DIVINA FAVENTE GRATIA
PRÆSIDE

DN. HENRICO RIXNERO

S.S. THEOL. D^{no} PHYS. ET ME-
TAPHYS. PROF. PVBL.
ET ORDIN.

DN. PRÆCEPTORE AC PATRONO SVO
SINGVLARI CVLTV VENE-
RANDO

Publico Eruditorum examini submittit

JOHANN-GEORGIUS HIERONYMI
RHÛDA-BRUNSVICENSIS,
AVTOR.

IN MAGNO IVLEO

Addiem Iunii.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCC LXXII.

22

DISPUTATIO PHYSICA
DE
TEMPERAMENTO

JOHANNIS
MAGISTRI

IN HONORE
S. THEOLOGICI

PHYSICAE
ET
MAGISTRI

JOHANNIS
MAGISTRI

PHYSICAE
ET
MAGISTRI

PHYSICAE
ET
MAGISTRI

PHYSICAE
ET
MAGISTRI





Σὺν τῷ Θεῷ.

EXERCITATIONIS PHYSICÆ

DE

TEMPERAMENTO

THESIS I.



I quis æquarationis lance expendat, quantâ Deus providentiâ cœlestem globum terramque cum mineralibus ejus, vegetabilibus ac animalibus condiderit, non poterit non illius benignitatem mirari & omnipotentiam summis laudibus evehere; magis verò etiam magisque ad id inflammabitur, si corporum præterea formas, figuram, colorem atque qualitates ingenii acumine inquiret ac rimetur. Tum porrò quid jucundius scituque dignius in natura, quam, quod sensibus nostris obvium est, etiam mente, illa divinæ auræ particulâ, nobis post *περὶ πλάτων* lapsum relictâ, perscrutari, quomodo nempe Sol Lunaque cursus suos absolvant? quomodo mineralia, metalla, lapides in gremio terræ generentur, coquantur & ad perfectum in suo genere statum redigantur? qua item ratione plantæ & fructus crescant, maturenturque? denique quò bruta & homines secundum humorum mixtionem ferantur & cur ferocia alia, alia sint mansueta. Etsi autem horum notitia cum summi opificis sapientiam testatam facit, tum ingentem animo voluptatem affert, non sine tamen la-

A 2

bore



bore & difficultate eam acquiri, res ipsa loquitur. Nilominus perspecto elementorum, & quibus ea constant, qualitatum, vario congressu atque viribus, hoc est, temperamento, plurium saltem sublunarium statum & conditionem penetrare quodammodo licet. De quo argumento, à studiis, quibus me consecravi, minimè alieno, theses nonnullas conscribere & doctorum censuræ exponere constitui, initium statim (uti in rerum tractatione aliàs fieri solet,) ab etymologia facturus.

II. Dicitur temperamentum à temperie, quòd qualitates primæ, calidum, frigidum, humidum, siccum, in corpore misto se mutuò disponant & digerant, donec miscibilium temperies pro natura misti resultet. Vid. Excell. Dn. D. Mœbius in Instit. c. 6. de temperamento. Quòd si nos ad græcam vocis hujus significationem contulerimus, deprehendemus, temperamentum Arist. lib. I. de gen. & corrupt, t. 86. vocari *μεσάζον*, à *μεσάζωμι* s. *μεσάζω*, *misceo*, quòd mixtione hac quatuor elementorum qualitates coëant & compingantur, mutuaque actione sese invicem frangant.

III. Si homonymiam videas, accipitur Temperamentum nonnunquam latè sive improprie pro quavis mixtura; ut, si aquâ vinum diluas, aut pulverem ferri & cupri, vel fuliginem & cretam conjungas. Deinde physicè sive proprie & strictè: quo sensu Philosophi quidam per *μεσάζον* intelligunt proportionem qualitatum elementarium, mutua sui alteratione constituentium corpus mistum: vel potius, est composita misti qualitas, ipsi, quatenus est tale, conveniens.

IV. Porro multis synonymis vox hæc dotata ab auctoribus est, & præterquam quòd temperies appellatur, dicitur quoque complexio, harmonia, & proportio. Alii
aliis

aliis nominibus expressere, quæ omnia huc adducere minus necessarium arbitramur. Interim temperamentum nec complexio propriè & formaliter est, nec harmonia. Fortè & illi, qui iudicium de alicujus ingenio ferentes in ore habent; esse illum hujus vel illius humoris; temperamentum locutione ea designant, quâ tamen, si strictæ vocis significationi insistas, temperamenti vocabulum non exhauriri manifestum est, & in Disputationis hujus progressu patebit.

V. Nunc ad temperamenti naturam & essentiam enodandam me accingam, prius tamen, quasi in antecessum, verbulo indicaturus, unde temperamentum ortum suum habeat (etsi id ex dictis intelligi quadantenus possit) paucisque mixtionis definitionem consideraturus. Ita enim felicius, nî fallor, in materia hac versabimur; progressi nempe à principiis ad principiatum. Itaque facta elementorum coitione, quodque horum partes suas implet, & vel in alterum agit, vel ab eo patitur; unde tandem primarum qualitatum elementarium refractione & temperatura in corpore misto, adeoque ipsum isti conveniens temperamentum oritur. Hoc ergo ab elementis, partim ut à causis efficientibus, partim tanquam à materia dependet: quæ enim activitate sua alia proportionaliter vincunt causarum agentium; quæ se superari patiuntur, materiæ rationem habent. Potius tamen ad ipsas qualitates primas id referas, utpote in quibus propriè & proximè elementorum (quatenus quidem talia sunt) agendi patiendique potentia consistit. Quod enim elementa aptitudinem hujusmodi habent, sive ut actus primus ea consideretur, sive ut in secundum traducitur, totum id à qualitatibus primis est, quarum beneficio illa agunt, reagunt & patiuntur in misti generatione, ac productione

ductione temperamenti. Unde cum qualitates istæ debito modo digestæ & compactæ sunt, temperamentum resultat.

VI. Sic igitur ut Temperamentum fiat, coire elementa & se mutuò disponere, qualitatesque eorum misceri ac uniri debite oportet. *Est autem Mixtio miscibilium alteratorum unio.* ἡ μίξις, inquit Aristoteles 1. gen. & corr. c. 10. t. 90. ὅτι τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἔνωσις. Quæ definitio optimè cum suo definito convenit. Nomine unionis non venit hoc loco qualiscunque compositio, ut cum aqua & vinum, triticum & hordeum conjunguntur & miscentur, sed propriæ strictæque significationis unio, nempe, qua primæ quatuor qualitates inter se mutuò agendo & patièdo debite & pro natura misti uniuntur. Porrò verò non tantum uniuntur, sed & alterantur elementa & qualitates eorum, ita, ut nanciscantur æquabilitatem, non quidem quoad pondus & magnitudinem molis, sed quoad potestatem, vim & virtutem; non item ut corrumpantur, sicuti quidam volunt, sed ut per alterationem decentem consequantur proportionem & convenientiam. Vide Aristot. lib. 2. de Gen. & Corr. t. 48. In hac itaque mixtione elementa & qualitates non secundum totum corrumpuntur, sed tantum pro ratione naturæ misti refringendo & comminuendo alterantur, id quod pluribus Archangelus Mercenarius in Dilucidat. fol. 177 demonstravit.

VII. Differentia in hac definitione à miscibilibus alteratis desumitur. Ubi nota, miscibilia h. l. dici, quæ apta nata sunt inter se agere, vicissim & pati; nempe elementa. Dn. Præses in Prælectionibus publicis & B. Zeisoldus l. II. Instit. Physic. observant, *Aristotelem valdè notanter voce*
miscibio

*miscibilem, non elementorum, usum esse, cum tamen in re idem
dixisset: nimirum ipsum formale mixtionis subjectum exprimere
voluisse, & unum terminum mixtionis ad quem respexisse. Elementa
enim sunt materia mixtionis, includentia terminum à Quo;
Miscibilia verò, & quidem alterata, sunt materia jam disposita
pro formæ mixti receptione, adeoque respiciunt terminum ad
quem mixtionis, qui est ipsum mixtum. Propterea quoque ad-
ditur in definitione, Alteratorum: Miscibilia scilicet debent
esse alterata, ut coire possint in unam naturam. Sine alterati-
one verò non redduntur miscibilia, nec apta, ex quibus gigna-
tur mixtum. Ex hisce jam prono fluit alveo, mixtionem
neutiquam fieri posse, nisi antè miscibilia alterentur, & tum
conjugantur. Licet enim varii generis grana miscean-
tur, non est tamen vera & huc pertinens mixtio, sed con-
fusio potius, in qua nulla observari alteratio potest. Mu-
tuò igitur per qualitates agant oportet elementa, ut facta
alteratione eæ post consistent coalescantque: & sic erit
mixtio strictè dicta, quæ formam compositam & tempe-
rumentum post se relinquit.*

IX. *Missa nunc mixtionis definitione vela nostra
expandemus, ac mare ipsum ingrediemur, ut ad littus,
quò tendimus, secundo vento appellamus. Consequens
itaque est temperamentum ipsum, tanquam mixtionis
effectus. Cujus definitio à B. Dn. D. Cellario, Theo-
logo & Philosopho summo longeque celeberrimo, in
Tabb. Phys. hæc traditur tab. 7. de temp. Est sc. Tem-
peramentum nihil aliud, quàm quatuor primarum qualitarum
ad mediocritatem redactarum misto conveniens proportio. Jo-
hanni Magiro temperamentum est quatuor elementorum
congrua atque proportionalis mixtio ad actiones rectè obeundas,
l. 3. Phys. c. 11. Fernelius lib. 3. Physiol. c. 1. ait: Tem-
peramen.*

peramentum non esse quidem mixtionem ipsam, sed mixtionis rationem. Alii definiunt per qualitatem corporis misti compositam, ortam ex mutua qualitatuum primarum actione & refectione. In Cellariana descriptione conveniens proportio non est generis loco habenda, sed pro necessario adjuncto, sine quo temperamentum esse non possit, & quo cessante, istud quoque esse desinat. Ferneliana expositio non videtur negotium conficere; Temperamentum enim non est sanè mixtionis ratio vel modus, sed consequens & effectus. Neque Magri bona est; Nam temperamentum non propriè ex elementis ipsis, sed eorum contemperatis qualitatibus constat: & non mistio est, sive mistionem pro actione, sive pro actionis termino sumas, verùm qualitas composita.

IX. Est autem conveniens proportio, concentus & harmonia, qua inter se pugnando qualitates primæ atteruntur, ut æquabilitas in misto generetur. Et hæc, uti dixi, in temperamento omni requiritur. Quòd si enim debita quantitatuum proportione mistum careat, subsistere haud poterit, veluti manifestò in pluribus compositis naturalibus deprehenditur. Cùm enim in his una qualitas tenorem suum & cum altera proportionem non retinet, adeoque mutuam conjunctionem non servat, maximæ mutationis, imò etiam corruptionis, causa est. Certè si vel hominis temperamentum nobis ob oculos ponamus inque id cogitatione nostra penitus descendamus, in sano integraque fruentis valetudine suavem & convenientem animadvertimus qualitatuum harmoniam, unâ alteram quasi complectente, & non magis sui, quàm istius conservationis cupidâ. In morbo autem longè
aliter

aliter se res habet: Turbata enim tum est qualitarum harmonia & conspiratio sive proportio: unde non potest non homo ipse malè se habere. Iccirco necesse est, in temperamento, ceu mixtionis forma quadam, insit conveniens proportio, quæ in ultimo statu perfecto relinquatur & maneat.

X. Celeberrimus Sennertus cap. 4. l. 1. Inst. Med. ait, *Temperamentum non formaliter, sed materialiter harmoniam & proportionem esse.* Dn. Præsidis hanc in rem verba sunt in Prælect. Phys. *Temperamentum sensu physico est concentus quidam seu proportio primarum qualitarum in misto, non quòd formaliter sit proportio: (proportio enim est relatio, relationi verò nihil contrarium; at unum temperamentum contrariatur alteri, uti Cholericum Phlegmatico; nulla item proportio & relatio materiam ad formam recipiendam disponit, facit autem hoc temperamentum;) sed quod necessario talem relationem involvat, quia revera est complexio quadam primarum qualitarum debitè & ad naturam misti accommodatè attemperatarum.* Bene igitur in re ista termini formaliter & materialiter adhibentur & temperamentum non formaliter quidem, sed tamen materialiter harmonia appellatur.

XI. Indagabimus nunc, an Temperamentum ad substantiam vel accidens referri debeat? quippe in his duobus, quicquid existit, consistit. Doctorum quidam asserere non dubitârunt, temperamentum esse substantiam, è quorum numero Fuchsius est Instit. Med. lib. 1. sect. 3. c. 1. Verum ab opinione ista alij Philosophi & Medici, qui rem eâ, quâ par est, mentis acie perscrutati sunt, recedunt. Et quod temperamentum non sit substantia, liquet, si recepta vulgo substantiæ definitio attendatur, quæ hæc est: *Substantia est Ens per se subsistens.* Temperamentum verò non est Ens per se subsistens. E. non est substantia. Minor
B defini-

definitione temperamenti probatur: Est enim composita ex primis elementaribus qualitas: qualitas autem per se non existit. Argumentor porrò: Quicquid ex qualitatibus & accidentibus constat, illud non est substantia. Temperamentum constat ex qualitatibus & accidentibus. E. temperamentum non est substantia.

XII. Quia & si ad proprietates sive affectiones substantiarum, uti quidem vulgo recensentur, nos flectamus, patebit, quid causæ latitet, quod substantijs annumerari temperamentum nequeat. Primam quod attinet proprietatem, nempe, *non esse in subiecto*, de ea jam ex descriptione substantiæ manifestum est, quod temperamento non conveniat. Sed nec altera, quæ substantiæ *contraria denegat*, temperamento competit. Nam in temperamento contrarietas quædam se offert: quippe qualitates elementorum remitti & intendi possunt, unaque alteri prædominatur, non quidem ratione accidentium, sed ratione sui. Quomodo substantia nulla recipit contraria. Sic in florescente ætate humidum & calidum prædominantur, in virili calidum & siccum, in senili siccum & frigidum excellunt. Et hoc à conditione mutuaque actione & passione sive contrarietate primarum qualitatium proficiscitur. Quapropter si temperamentum substantia esset, utique contrarietatem hujusmodi non admitteret, utpote quæ tantum in accidente locum habet. Ultima denique affectio est substantiæ: *Non recipere magis & minus*. Jam nec hoc de temperamento asseverari potest, quod omnino magis & minus recipit; potest nempe intendi & remitti, sicuti qualitates, quæ modò in intensiori, modò in remissiori gradu observantur. e. g. quando ignis & aquæ qualitates concurrunt, inter se acerrimè luctantur, adeò, ut una alteram pellerè nitatur.

Porrò

Porro verò temperamentum sensui subijci, motu acquiri, atque alterationi obnoxium esse potest, quæ tamen substantiæ attribui nequeunt. Argumentamur ergo: Quicquid immediatè sensibus dignoscitur, illud non est substantia. Atqui temperamentum immediatè sensibus dignoscitur. Ergo temperamentum non est substantia. Major sua luce radiat. Minor itidem manifesta est: quippe accidens, ut albedo in pariete, statim sensu dignoscitur, substantia autem nullatenus.

XIII. Vidimus, temperamentum inter substantias recenseri non posse. Ad accidentia itaque & quidem ad qualitates referendum, cum proprietates qualitatis, nempe recipere contrarium, & admittere magis ac minus, in eo reperiantur. Nunc ordo à nobis exigit, ut paucis perpendamus, quid de celebrata olim & Avicennæ, quasi auctori adscripta, nova & quinta qualitate simplici sentiendum sit. Nempe fertur Avicenna, Medicus & Philosophus in Arabia suo ævo famigeratissimus, erudito orbi obtruisse, ex miscibilium unione, & in mixto facta refractione, emergere quintam qualitatem simplicem. Fernelius egregiè sive Avicennam sive saltem sententiam hanc refutat lib. 3. Phys. c. 1. hoc modo: Fieri nequit, ut omnes per actionem qualitates dissolutæ evanescant, neque non ea tandem superet, quæ, validior cum esset, conflictus principia dedit. Si enim hæc Avicennæ vera esset, omnes qualitates perirent & sic repugnantia contrariorum cessaret; quin & non fieret per singulas ætates conversio temperamenti; cum tamen in juvene & sene diversum sit temperamentum, & mutetur pro ratione ætatis. Præterea nullis morbis tentaretur homo, non adesset causa senii, vel mortis, quia tum nulla repugnantia esset contrariorum. Inde enim contingit, ut, quando qua-

itates è suo statu elabuntur, oriatur ejusmodi mutatio.
Denique, quando corpus dissolutione occidit, haut poterunt simplices naturæ in universitatem recurrere suis instructæ qualitatibus. Non possunt enim resumere, quæ jam dissipatæ in composito non manent. Itaque concludimus cum Fernelio, novam & quintam qualitatem simplicem non dari, nec talem esse temperamentum. Neque hoc injuriâ plerique alij Philosophorum nobiscum asserunt, advertentes, quàm absurda propullulent ex nova ista qualitate, in qua tanquam una superstite, reliquis in congressu pereuntibus, omnium vires compleantur & quasi sinu ejus recipiantur. Etsi autem hæc communiter attribuantur Avicennæ cum à Fernelio, tum ab alijs, tamen B. Sennertus lib. 1. Inst. Med. c. 4. aliter sentit, dicens, injuriam fieri Avicennæ; illum enim non velle, quòd quatuor primæ qualitates pereant in ista mutua actione, & quinta eaque simplex inde exsurgat; sed nihil aliud docere, quàm ex contrarijs qualitatibus, quæ magis & minus suscipiunt, manentibus, refractis tamen & remissis, oriri unam moderatam qualitatem, quæ sit finis & terminus alterationis & quasi qualitas media, sicut color pallidus inter album & nigrum medius est; eamque sententiam fuisse Avicennæ, inde constare, quòd scribat: *Temperamentum aequale esse, quando quantitates qualitatum in temperamento sunt aequales; Inaequale verò, in quo plus est vel frigoris vel caloris.* Ut ut autem sit, sive Avicenna ita, ut fertur vulgo, statuerit, sive non; nos quintam & novam qualitatem, vel temperamentum esse talem, non agnoscimus, ijs freti, quæ hinc subjiciuntur. Argumentor: Si temperamentum qualitas simplex est, vel merè humidum erit, vel merè siccum, vel purè calidum, vel purè frigidum, aut sanè aliud ab his diversum, idque non compositum. Nihil.

hil verò horum dici potest: neque enim tum temperies foret, nullaque contrarietas in temperamento deprehenderetur, quam tamen sensus ipsi sufficienter ingerunt. Argumentor præterea: Quodcunque est compositum ex pluribus, id non est simplex. Atqui temperamentum est compositum ex pluribus. Ergo id non est simplex. Major nulla probatione indiget, cum ab omnibus concedatur. Minor ex generatione temperamenti demonstratur, quæ quomodo fiat, ex præcedentibus reperendum.

XIV. Est itaque temperamentum *composita* potius qualitas. Nam primò Qualitas est, non substantia, ut supra vidimus. Iam verò non est nova & simplex. Ergo composita & ex quatuor primis aggregata: sive est ipsæ illæ quatuor qualitates inter se unitæ & contemperatæ. Porro: Quodcunque constat ex gradibus secundum intensiorem & remissionem, sibi que ad eò invicem contrariis, illud est compositum seu qualitas composita. Atqui temperamentum constat ex gradibus ejusmodi. Ergo temperamentum est compositum & composita qualitas. Major evidens est. Minorem Dn. Præses in notis ad compendium Prückneri hoc modo declarat: *Nulla simplex qualitas secum ipsa concurrit & pugnat, quod tamen fit in temperamento: nullum item mixtum, & temperamentum habens corpus, pugnam qualitatatum experiretur, si temperamentum qualitas simplex foret.*

XV. Dicitur est supra, temperamentum compatum esse ex primis qualitatibus mutuò sese refringentibus. Circa quod moveri potest, num qualitates illæ se mutuò comminuant & contemperent, an gradus earum summi & intensi maneat? Sunt, qui statuunt, in misto sub forma temperamenti dominari gradus qualitatatum in summo gradu & æquali mensura. Quibus præprimis ad stipulatur Johannes Fernelius, c. 2. lib. 3. Phys. & quàm plu-

rimis id defendere conatur, in alios contrarium sentientes ita invehens : Scio, opinionem quandam apud Neotericos pervulgatam esse, qua illi instant atque urgent summo cum studio, contrarias qualitates remissis quidem gradibus convenienter congruenterq; concurrere, summam verò haudquam posse, neque tamen ulla in id probabilitate se muniunt. Et paulo post: Si summam elementorum qualitates in permutationem & temperamentum coire, Galeni fert opinio, non illa jacet suis patrocinis destituta. Verùm magnus ille Vir multos invenit hac in re adversarios ac inter eos Archangelum Mercenarium in Dilucid. fol. 193. 194. 195. & 196. contendentem, quòd semper qualitas aliqua excellere dominariq; debeat, quædam verò ei cedere & utrobique quidem mensurâ, quam uniuscujusque mixti natura exposcit.

XVI. Ac quàm absona sit Fernelij opinio, primò ex mixtionis natura ostendi potest. Mixtio enim est miscibilium alteratorum unio. Quamobrem si in mixtione miscibilia, qualia sunt elementa, uniri debent, præcedat oportet alteratio eorum. Sed alteratio illa fieri non potest, nisi qualitates remittantur & contemperentur. Itcirco in mixtione ipsorum qualitates refringi atque remitti necesse est. Quòd si verò qualitates in illa miscibilium mixtione summo gradu maneat, sicut elementis insunt, non alterantur elementa, & sic non fit mixtio. Deinde non possent qualitates inter se agendo & pugnando diversos gradus consequi: At cum qualitates in se invicem agunt atque refringuntur, non sanè nisi semetipsas debilitando id peragitur. Quæ enim sunt æqualibus gradibus, nunquam se invicem comminuunt. Et favet sententiæ huic Aristotel. 2. de gen. t. 48. docens, Elementa in mixtione nec ex toto corrumpi, nec omnino integra asserva.

asservari, sed medio quodammodo, prout secundum excellentias & summitates corrumpuntur. Quod si in excellentijs corrumpuntur, primæ elementorum qualitates necessariò remittuntur.

XVII. Ita liquet, quæ urgeri contra Fernelium possint. Quòd autem seorsim Aristotelem attinet, censet Fernelius, cum non de qualitatibus, sed de viribus qualitatum locutum esse. Verba illius leguntur lib. 3. Phys. c. 2. *Quod ab Aristotele scriptum videmus, summas in permixtione qualitates summam vim concursu adimere & ad usque moderationem quandam reprimere, de viribus id omnino accipiendum nobis est.* Subjungit: *Nam qualitates, tametsi nullo modo repressa sunt, contrariarum tamen perfusione quasi vincula inhibentur, ne suas summas vires exhibeant, hinc virium acumina exuperantiasq; retudisse perhibentur.* At verò hæc Fernelij expositio repugnat menti Aristotelis; quippe Philosophus eo in loco de remissione qualitatum agit: Ita enim disertè inquit loco citato: *Quoniam autem est magis & minus calidum & frigidum, non omnino, sed ut calidum frigidum & frigidum calidum erit.* Græcè sic expressit: *ὡς μὲν θερμὸν ψυχρὸν, ὡς δὲ ψυχρὸν θερμὸν.* Quibus ostendit, in mixtione non omnino & in summo calidum & frigidum adesse, sed *θερμὸν ψυχρὸν*, h. e. calidum frigidum, & *ψυχρὸν θερμὸν*, frigidum calidum. Intelligent Autores, ac inter hos laudatus Mercenarius in dilucid. fol. 190. per istud frigidum excalesfactum, per illud calidum refrigeratum. Scimus verò, calidum refrigeratum secundum gradum remissum esse, similiter etiam frigidum excalesfactum.

XVIII. Statuimus ergo, Aristotelem de remissione qualitatum secundum gradus loqui, ex quarum remissione, virium quoque remissio consequatur. Et uti
sint

sint remissæ vires, remissæ secundum gradus sint necesse est, siquidem remissio virium ex remissione graduum dependet: atque adeò dicimus, si in misto qualitates sunt repressæ secundum vires agendi, etiam secundum gradus remissas esse. Id quod Fernelius, quantumvis invitus, affirmare cogitur. Ac certè pugnant hæc duo inter se, primas qualitates in summo gradu retineri, remissas tamen habere vires agendi, uti pluribus B. Sennertus in Inst. Med. c. 4. lib. 1. docet.

XIX. Porro, sicuti qualitates primæ diversimodè attemperari possunt, ita aliud atque aliud constituitur temperamenti genus. Nempe Temperamentum aliquid dicitur simpliciter & absolutè, in quo simpliciter & absolutè contraria sunt æqualia. Hoc temperamentum aliàs vocatur uniforme, sive, quod usitatus est, ad pondus, græcè, *πρὸς ἰσότητα*. Deinde Temperamentum dicitur, quando quidem in viribus qualitatum aliqua est inæqualitas, sed quæ tamen actionibus peculiaribus conveniens & accommodata est. Appellari solet difforme, sive ad justitiam, græcè, *πρὸς δικαιοσύνην*. Alij alijs vocibus distinguunt, nempe in temperamentum secundum Arithmeticam proportionem, & secundum Geometricam. Nobis perinde est, quibus vocabulis temperamenti discrimen exprimat, modò rem ipsam, hoc est, duplex id esse, cognoscamus.

XX. B. Sennertus lib. 1. Inst. Med. c. 4. scribit: *Temperamentum ad pondus, seu æquale, est affectio corporis mixti, & propriè mixtis homogeneis competit, heterogeneis verò neutiquam.* Quibus Sennertus clarè suam proponit opinionem, nempe in misto heterogeneo non dari temperamentum ad pondus; uti in homine reliquisque perfectè mixtis. Ipse paulo post addit: *Quando queritur: an detur*
semper

temperamentum aliquod ad pondus; id de homine accipiendum non est; illum enim esse calidum & humidum, manifestum est. Hactenus quidem rectè Sennertus sensit, dum homini, tanquam misto heterogeneo, temperamentum ad pondus denegat; homo enim cum reliquis perfectè mixtis ex partibus heterogeneis, h. c. diversæ naturæ constat; omnes enim qualitates æqua graduum proportione non concurrunt, & ita talis temperies mistis animatis attribui nequit.

XXI. Sic ergo in homine reliquisque animantibus non dari temperamentum ad pondus propriè ita dictum, vidimus. Jam dispiciemus, an in inanimatis inveniatur? Sennertus existimat, non absurdum esse, si id statuatur, non quod gradus prorsus sint æquales ijs, sed quod hæc insignem habeant qualitatum elementarium *συμμετριαν*; sufficere enim ad exactam mediocritatem constituendam, vires elementorum esse æquales. Ex hisce constat, secundum nonnullos temperamentum ad pondus non esse improbandum, quamvis in animatis esse negent, & solùm in inanimatis, uti metallis, & mineralibus, quibus anima non attribuitur, admittant. Nos verò nunc ostendemus, nullum dari temperamentum ad pondus, quod tale est: Quodcunque corrumpitur, in illo sunt gradus inæquales, in se invicem agentes. Atqui mistum corrumpitur. Ergo in misto sunt gradus inæquales, in se invicem agentes. Major est verissima; si enim essent gradus æquales, semper manerent & nulla oriretur pugna, sed mutua quædam eaque continua concordia foret; hoc verò rebus naturalibus mistis planè reclamatur; quæ corruptioni obnoxia sunt in universum omnes. Minor itidem probari potest; quia mistum non nisi ex quatuor elementarium qualitatum refectione coaluit. Ubi autem reffactio est, necessariò præcedit pugna, ubi pugna, ibi sunt contraria, ubi autem hæc,

C

non

non potest non graduum inæqualitas in misto observari. Hoc vel ipsa vox, Mistum, satis indicat; quod non potest non dari nisi ex qualitatibus inæqualibus; Ex æqualibus id minimè producitur, quia hinc nulla est pugna, ex qua, quodnam dominetur, deprehendatur. Si æquales etiam gradus essent, nulla ibi fieret actio & passio, sed persisterent in sua statione. Præterea, ubi datur æquilibrium qualitatum, non ex in se invicem agunt: stant enim ex adverso in æquilibrio; quod tamen fieri, veritati certe minus consentaneum est.

XXII. Hisce ita constitutis asserimus, temperamentum ad pondus (quidquid reperatur) esse ens fictum, quod imaginatione concipitur, ut sit quasi norma excessuum & defectuum in reliquis temperamentis, quæ ab æqualitate hac deflectunt. Ad hanc sententiam ipse Sennertus, sibi non satis constans, delabitur lib. 1. Inst. Med. c. 4.

XXIII. Seposito temperamento ad pondus, alterum, quod est ad justitiam, superest. Hoc autem itidem duplex est: Simplex & compositum. Verùm, antequam ad species hasce ipsas nos conferamus, monendum in genere est, quid sit temperamentum ad justitiam. Est igitur, quando misto concessa est qualitatum temperies, ab illis inæqualiter concurrentibus dependens, & misti naturæ optimè conveniens. Hoc verò est justitiæ distributiæ, unde temperamentum ad justitiam nuncupatur. *Et si enim, verba sunt Sennerti lib. 1. Inst. Med. c. 4. respectu temperies absolutè equalis & hac temperies inæqualis dici, & id, quod ea præditum est, intemperatum suo modo nominari possit, tamen quia æqualitas hic æquitas potius est & Geometrica proportio, qua suum cuique tribuitur, respicitur, omne illud, quod temperiem convenientem obtinet, temperatum dicitur.* Hoc ergo temperamentum est verum illud, quod à Philosophis & Me-

& Medicis celebrantur. In hoc qualitates miscibilium in mixtione mutuò se atterunt, donec aut una qualitas aut duæ superiores fiant. Quicquid enim in natura hac, tanquam completum, existit, per miscibilium mixtionem existit, & sub hac nova producitur forma misti, quæ temperamentum dicitur. Quo fit, ut mistum intereat & dein rursus qualitates solvantur & fercernantur.

XXIV. Distinctiones temperamenti, nempe ad pondus & ad justitiam ea, qua fieri potuit, brevitate, perlustravimus. Sed tamen porrò nobis incumbet, considerare, non quidem temperamentum ad pondus, sed secundum justitiam; Etenim id, quod inæqualiter est distributum, non immeritò examinatur, quot gradibus inæqualibus sit præditum. Verùm non dissimulamus, hisce sensibus nostris distinctè, & omni ex parte accuratè, omnium rerum naturalium temperamenta deprehendere nobis non licere, e.g. quis sit gradus frigiditatis aut humiditatis in pomo. Ut tamen sit, certissimum est, in omnibus corporibus naturalibus esse temperamenta, inæqualibus qualitatibus constantia, licèt distinctè gradus earum dignoscere nequeamus.

XXV. Eò igitur nos convertemus, ut inquiramus, an in temperamento ad justitiam qualitatum inæqualitas in misto observari possit, & dein, an vel una solùm qualitas in illo excellat, vel duæ qualitates simul reliquas superent. Primum est una qualitas superans, quæ tum simplex temperamentum facit. Simplex igitur temperamentum dicitur, in quo una tantùm qualitas vincit; quando scilicet una qualitas excedit sibi contrariam. Reliquæ verò vel sunt æquales, vel si inæquales, gradibus tamen sunt remissis: sic temperamentum frigidum est, in quo frigiditas calorem superat; siccum est, in quo siccitas humiditatem vincit; & sic in reliquis. Nemo autem facilè de-

prehendet aut indubitato afferet, quæ qualitas in quolibet corpore misto emineat, & inter qualitates cæteras palmam obtineat, v. g. in misto frigiditas reliqua non superat, si adsint e. g. 6. gradus caloris. 2. frig. humid. & sic. gr. 4. resultat enim hinc temperamentum, in quo calor ob graduum copiam excellit. Verum, quis tam distinctè gradus hosce in quolibet misto observabit, e. c. in hoc animali, aut in hac planta? Difficillimum id sanè & ferme aduratum erit.

XXVI. Porro objicias: In quocunque corpore misto frigus prævalet adeò, ut calorem destruat vel; prædominatur calor, ut perimat frigus, illud exstinguitur & interit: quando enim frigus planè occupat mistum, omnia in illo rigent: &, si calor occupet, cuncta summè incallescunt. Atque hæc ita esse comparata, quotidiana testis est experientia, & quivis nullo negotio vel ex terminis intelligit. Verùm respondemus, tam intensum hinc non denotari frigus, ut per id penitus mistum corrumpatur, sed tale, cui adhuc aliquid caloris est conjunctum, uti Johannes Schröderus in sua Pharmacopœa Medicochymica lib. 2. de offic. c. 16. de quatuor seminibus peculiariter frigidis scribit: in his enim quatuor majoribus frigidis tantum frigus non deprehenditur, quantum ad omnem calorem extirpandum requiritur; sed frigus tantum in excellentiori gradu est & vincit calorem. Commodè igitur & usitatè dicitur, corpus ejusmodi esse vehementer frigidum, sumpta denominatione à potiori: calor enim eo casu remissus est, nec adeò vim suam exercere aptus. Hac quoque ratione vel humiditas vel siccitas prævalent in aliquo misto, ex quo deinde temperamentum simplex dijudicatur.

XXVII. Sed, cum hæc intricatiora sint, quidam dubitare

bitare coeperunt, inter quos est Averroës, an detur ejus
modi simplex temperies, quin imò negârunt, hac ducti
ratione, quòd humiditas cum calore intenso, aut siccitas
cum frigiditate consistere nequeat, quia absumatur à cali-
do, cùm excellit, humidum, & calidum corpus siccum
evadat. Verùm hi non perpendunt, contraria in se & per
se solùm agere, uti calidum in frigidum, humidum in
siccum, & nihilominus tamen cum illo posse subsistere. At-
que adeò manet thesis nostra inconcussa, unam nempe
qualitatem posse excellere reliquis tribus remissis: His ac-
cedit B. Senn. lib. 1. Inst. Med. c. 4. ubi ista leguntur: *Ca-
lidum potest tam cum humido, quàm cum sicco consistere, & fri-
gidum tam cum humido, quàm cum sicco, quod ipsum sensus
atque experientia testatur. Et licet concedatur, calidum age-
re in humidum sive per se, sive ex accidenti, & tandem exsic-
care; tamen hoc non obstat, quin aliquandiu humiditas cum
calore persistere possit.* Huc etiam faciunt, quæ Excell. Dn.
D. Voglerus, hac ipsa in Academia Julia P. P. ac Præ-
ceptor ætatè colendus, in *Σημειώσεων*, publicè proposita,
habet cap. 12. §. 8. & 9: *Cerebrum calidum & siccum indicat
capitis concinna figuratio. Frigidum & siccum procul dubio
comitatur capitis conformatio minus bona.* Liqueat ergo vide-
tur, posse consistere qualitates, quamvis in se actu non a-
gant more contrariorum. Et sic una qualitas eminent, e-
nasciturque temperamentum simplex. Quod probabiliter
saltem statuendum.

XXVIII. Ordo nos jam deducit ad examinandum
temperamentum compositum, quod dari consentiunt tam
Philosophi, quàm Medici. Atque hoc est & dicitur, quo
qualitates duæ excedunt: Manifestò enim excessus ani-
madvertimus, ex quibus elucet, quasdam qualitates in in-
tensiori, quasdam in remissiori esse gradu. Ex excellenti-
bus

bus autem, eeu in sensus incurrentibus, pernoscimus, quæ-
nam sint superiores. Citra verò dubitationem est, speci-
erum in composita temperie tantum numerum haberi, ut
vix efferri queat; interim tamen ab eo, in quod mistum ab-
ripitur, esse vocandum temperamentum vel humidum,
vel siccum, vel calidum, vel frigidum, ostendemus. Ad
hæc igitur quatuor omnium mistorum temperies potest
referri & postea pro qualitatibus prædominantium ratione
nomen indi. Verùm vix deprehendimus, unum homi-
nem esse exactè ejusdem temperamenti cum alio, tanta
enim inæqualitas est, ut, etiamsi duo fratres, sub eodem
climate, eadem hora, iisdemque parentibus sint nati, al-
ter tamen quod amat, alter cane pejus & angue odit. Ul-
terius si progrediamur & ob oculos nobis ponamus ebri-
os, offeret se morum qualitatibusque dissimilitudo. Sæpe qui
antea sobrij similibus præditi visi sunt qualitatibus, ebrij
diversa agunt: ac inde similibus corpora eorum qualitati-
bus constare vero congruum non est, utpote altero ad hila-
ritatem, altero ad rixas composito. In somniis item &
morbis haud parum se temperamentum prodit, uti pluri-
bus ex thesib. seqq. patebit.

XXIX. His ita præmissis, propius ad rem ipsam ac-
cedere placet & dispicere signa, ex quibus temperamen-
tum misti possit dignosci, idque tam in naturali statu,
quàm præternaturali sive vitioso. Non ignotum est,
humores in corpore esse duplices; naturales & corruptos.
Hi prout sunt comparati, etiam mistum, cui insunt, tem-
peratum vel intemperatum fieri, novimus. Humores ve-
rò, de quibus nobis nunc sermo est, omnem suam origi-
nem debent sanguini, vel illi simili cuidam succo, qui vi-
tam in partes misti distribuat: Sanguis enim primariò,
uti in Schola Medica edocti sumus, vitam misto infundit,
partes

partes ejus omnes pertranseundo illasque fovendo. *Cum enim sanguis, inquit Sennertus lib. 1. Inst. Med. c. 4. totius corporis alimentum, imò materia sit, ex qua formatur moles corporis in ipso utero & præterea spiritus vitalis materia sanguinis sit, omninò totius corporis temperies naturam sanguinis amulabitur. Quapropter si sanguis generatur temperatus, corpus erit calidum & humidum, atq; hoc appellant sanguineum; Si sanguis sit calidior & siccior, biliosum nominant; Si humidior & frigidior, pituitosum; si deniq; sit frigidior & siccior, Melancholicum appellant. Nonnulli peculiaria nomina induunt hisce temperiei sive speciebus sive gradibus, vocantes sanguineum humorem, temperamentum sanguineum; biliosum, cholericum; pituitosum, phlegmaticum; & ultimum, melancholicum. Quibus tamen Fernellius lib. 3. Phys. c. 11. refragatur. Verum B. Sennertus lib. 1. Inst. Med. c. 4. existimat, si commode hæc appellationes explicentur, & non ab humoribus excrementitiis, sed alimentariis, & ipsa sanguinis in variis corporibus diversitate sumantur, ferri posse.*

XXX. Hic fortè dicas, nos supra ortum temperamenti deduxisse non à sanguinis diversitate & dispositione, sed à miscibilium qualitatibus primis, non ergo hæc constare, cum non pateat, qua ratione ex miscibilium alteratorum unione, & sanguine tamen dependeat temperamentum. Verùm huic dubio respondemus, secundum Philosophos ex primis qualitatibus elementorum emergere temperamentum, quippe omne mistum constat vel ex aëre, vel aqua, vel terra, vel igne, quorum qualitates si pro natura misti inter se comminuuntur, donec concentus quidam qualitarum fiat, dicimus temperamentum. Dicitur non deprehendi elementa quatuor in omnibus corporibus. Verum respondemus, non deprehendi quidem secundum ipsam substantiam suam in mistis, sed aliam
tamcō

tamen tatione. Licet enim terram in manu v. g. non advertas neque ignem, neque aquam, neque aërem, est tamen in manu aliquid solidi, fluidi, spiritalis & calidi. Alterantur itaque elementa in mixtis secundum qualitates, quia in se mutuò agunt, & agens in agendo repatitur; & hinc non possunt non illæ debilitari.

XXXI. Interim Medicorum assertio probanda est, quando nempe existimant, ex sanguine temperamentum gigni: Sanguis enim constat ex particulis seu qualitatibus aëreis, igneis, aqueis, & terrestribus, & prout illæ se atterunt in misto corpore, temperies ejus mutationem accipit. Hæ prout magis vel minus in se agunt, sanguis, cui insunt miscibilium qualitates, constituitur, fluxu ad partes misti & refluxu à partibus incalescit, sicque tandem sanguis temperatus calidum & humidum generat mistum corpus, & dicitur sanguineum; si calidum & siccum est, biliosum; si frigidum & humidum, pituitosum; si verò frigidum & siccum, Melancholicum, uti §. 28. jam tum monuimus. Manifestum itaque est, secundum istam considerationem Philosophos & Medicos sibi non contradicere, sed hos, quod illi ajunt, supponere.

XXXII. Jam quoque dispiciendum, quomodo in misto actiones convenientes naturaliter possint dignosci, & tandem colligi, quænam qualitates prædominentur & cujusmodi temperamentum in illo existat. Sanguineos itaque primùm consideremus. Hi, ut vulgo docent, in extremo corporis habitu rubent, corporeque agili præditi & gestus ac mores eorum amabiles sunt, jocis & cantilenis delectantur, voluptatibusque dediti delicias sectantur. Deinde Cholericis sive biliosis occurrunt. Hi corpus paulo nigricantius circumferunt, vel si rubedo adsit, siccus est corpus illorum, caro dura, oculi paulò profundiores,

ores, pili retorti, suspicaces sunt, motus corporum illorum tardus observatur, nemini credunt, sunt fervidi animoque concitato, irâ facilè incenduntur, ferocitas ijs in laessendo, nec tamen in sustinendo firmitas est; qualis natura in canibus: ideo de Agamemnone inquit Achilles apud Homerum Iliad. I. *κυνὸς ὄμματα ἔχων*. Hos excipiunt Phlegmatici sive pituitosi; qui plerumque pigri, quorumque corpus sæpe totum pingue est, sed cutis albicans & ad tactum facilis, si quid adversi subeundum est, subterfugiant. Denique Melancholici sunt *μισάνθρωποι*, soli plerumque secum loquuntur, in suspiria proni, ingeniosi, impatientes adversorum, vindictæ cupidi. Plura huc adduci possent, nisi tam copiosè hac de materia scripsissent Claromontius, ab incomparabili Conringio nostro nobis redditus, Moebius, alijque.

XXXIII. Nunc missis signis, in naturali statu apparere solitis, ad ea nos convertemus, quæ in morbis deprehenduntur. Sanguinei igitur morbis correpti membra delassata sentiunt & deinde levi facta V. S. sentiunt illa leviora. Cholericos in respirandi difficultatem ac febres pronos videmus, incalescere item &c. Phlegmatici pituitâ abundant, scabie laborant, sunt & *καποσόμαχοι*. In Melancholicis mania metuenda, qui & anguntur interdum cardialgiâ.

XXXIV. Ultimo loco perpendemus signa, quæ ex somniis peti solent. Sanguinei ergo res lætas, saltationes, clamores, cursus & similia somniant. Cholericos ignes, pugnas, prælia. Pituitosi somniant, se alicubi jacere, aquæ innatare, tardè curru vehi, proximè ad stare igni & calefieri. Melancholici per somnum spectra vident, celestesque visiones somniant; &c.

D XXXV. Si-

XXXV. Signa hæcenus recensuimus; quibus temperamentum misti cujusque explorare licet, prout scilicet illa legimus apud modò laudatum Claromontium, Mœbiumque. Extra omnem igitur controversiam positum est, multum conferre in temperamento alicujus misti indagando externa, uti sunt color faciei, pili, gestus, loquela & id genus alia; præterea quoque morbi & somnia. Hoc verò pluribus pertexere desino, etenim satis nos dilucidasse arbitramur. Addere autem placet, non simpliciter affirmari, signa modò commemorata esse *ἀποδεικνύσ* certa, sed prout mistum magis vel minus ad hanc illamve temperiem proclive est, quæ actionibus ejus conveniat, & sic, uti supra proposuimus, temperamento hominis nomen inditur, ut vel sanguineum, vel biliosum, vel pituitosum, vel melancholicum existat.

XXXVI. Verumenimverò res quidem ea facilis est in theotia, sed metiri in quovis subjecto qualitates, summæ difficultatis, imò vix possibile foret. Existimamus enim, in tota hac rerum natura satis firmum argumentum haud reperiri, unde nobis gradus intensiōis in corpore naturali exhiberi possint: licet tamen eos probabiliter ex signis allatis colligere. Et quod res alias præter hominem concernit, observationibus ostensum est, duas aut tres plantas calore differre, cujus tamen caloris gradus præcisè determinari nequeunt. Quæ, ut & cætera prope omnia, uberius tractari & deduci, atque alia etiam adjici possent, si instituti ratio permetteret. Opinamur autem, Temperamenti naturam ex hisce paucis sufficienter intelligi, ideoque hîc finimus, & Bonis omnibus Studia nostra commendamus.

S O L I D E O G L O R I A.

§. 21. l. 12. leg. Nos verò argumento nunc &c.



*Ad eximium DN. RESPONDENTEM,
Disputationis Autorem,
Amicum suum.*

TEMPERIEM rerum perquiris : quàm
Tibi cordi
Abdita naturæ, hòc testatus. Solvere perge
Difficiles nodos, aut magno findere nisu!
Sic Te certus honos & gloria certa manebit.

benevol. causà scr.

PRÆSES.

DUm Sophien jungis præclaræ Pæonis arti,
Tendis, quàm veterum proxima meta fuit.
Quòd si porrò voles illas conjungere, tandem
Vtraque distribuet præmia certa Tibi.

*Paucis hisce Eximio atque Eruditissimo Dn. RE-
SPONDENTI, Disp. hujus Autori,
Amico & Commensali suo per-di-
lecto gratulabatur*

**JOHANNES DIETERICUS Cövensen
Alfendensis.**

Conatu solito persistas abdita rerum
Scrutari, quæso, sic Tibi nomen erit.

*His per-paucis Præstantissimo hujus Dissert.
Auctori, Amico suo suavissimo gratulari
voluit, debuit*

**FRIDERICUS GÜNTHERUS Kirchheim
Arnstadiâ Thuringus.**



99 A 6919


ULB Halle 3
002 631 202


56.

Reho. ✓

VD17





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PHYSICA

MENTO

M
E GRATIA

RIXNERO

HYS. ET ME-
E. PVBL.
N.

PATRONO SVO
TV VENE-

nini submittit

S HIERONYMI
VICENSIS,

IVLEO

unii.

DI,
LLERI, Acad. Typ.

LXXII.